

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
VERA PODAGRAE
SEDE ET FOMITE

QVAM
DEO DVCE ET AVSPICE,
CONSENSV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS,
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMI BORVSSIAE REGIS A CONSILIIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESSORE PVBL. ORDIN.
FACVLT. MEDICAE SENIORE ET REGIORVM ALVMNORVM EPHORO,
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM PRAESIDE
ET COMITE PALATINO CAESAREO,

PRO
DOCTORIS GRADV
SYMMSQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS OMNIBVS
SOLEMNITER IMPETRANDIS
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
PLACIDO PHILIATRORVM EXAMINI SVBMISSAM

H. L. Q. C.
PVBLICE TVEBITVR
AVCTOR
GEORGIVS BALTHASAR STOLLE,
SVEVOFVRTENSIS.

HALAE MAGDEB. D. XXII, DECEMBR. MDCCCLXI.

EX OFFICINA SCHNEIDERIANA.



DISSERTATIO IN UNIVERSITATE MEDICA

DE

VERA PODAGRAE
SEDE ET TOMITE

AVGVSTVS AVGVSTVS

PRO DOCTO ET AVCTOR

CONSENSV CATHOLICORVM ORDINIS

FRANCISCVS

VIRI DIGNISSIMI ESSELI VNIERSITATIS

D. ANTONIAE ELIA BACHNERO

FRANCISCVS ROMANI IMPERII NOBILIS

POTENTISSIMI TORONIAE REGIS A CONSILIIS

MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESSORIS PVDICIS

FRANCISCVS TORONIAE ET REGIONIS ALMONORVM

HABITANS ACADEMIAE NATVRALIS TORONIAE

ET CONSILII ACADEMIAE

FRANCISCVS

DOCTORIS GRADVS

SVMMISSIT IN MEDICINA HONORAVIT ET

FRANCISCVS

IN ALMA MATERIA FRIDERICIANA

FRANCISCVS TORONIAE

FRANCISCVS

FRANCISCVS

FRANCISCVS

GEORGIVS WILTHELMVS STOLLE

FRANCISCVS

FRANCISCVS

FRANCISCVS





DE
VERA PODAGRAE SEDE
ET FOMITE.



§. I.

Si vilo vnquam in morbo medentium dissidentes inter se atque discordantes, iam inde ab antiquissimis quibusque temporibus, fuerint sententiae de eius sede ac fomite: certe est de germano Podagrae conceptaculo ac materiali causa. Quamuis enim inter omnes de subiecto generali eius, quod pedes sunt, satis constet: de speciali tamen eius, in quo fomes mali occultatus delitescit, nondum conuenit. Alii quippe mali huius sedem in ligamentis istis, quibus ossa connexa inter se continentur, collocant; alii eam tendonibus musculorum assignant; alii contra eandem ipsis musculis vindicant; aliqui eius sedem in nervis figunt; nonnulli vero eam in glandulis articulorum Hayerianis constituunt, aliis alias pedis partes huic malo sedem attribuentibus. Quemadmodum vero de corporis latebris, in quibus podagra recondita fouetur et alitur, summa est inrer Aesculapii filios dissensio: ita quoque plurimum dissent

inter se et discordant de femine illo, ex quo enata mortalibus subinde proueniat. Quo nomine ego operae pretium facturus mihi sum visus, si primum omnium oculis germanum eius receptaculum, in quo latitat, velut conspicendum subiiciam; deinde quibus ex parentibus ibidem ea gignatur.

§. II. Quod proinde ad istam attinet pedis partem, in qua hoc mali altis subinde fixum haeret radicibus, vix quidquam dubii est, quin ea prae ceteris exquisitissimo et acerrimo sensu sit praedita: quia illud, si praesertim iam adoleuerit et temporis diuturnitate maiora ceperit incrementa, atrocissimis semper doloribus eo occupatos et decumbentes excruciare assolet. Quae vero ex pedis partibus illa sit, cui eiusmodi cruciatus acerbissimi insident, de ea nondum inter Auctores constat, Illustri de HALLER id omnium praeclarissime annotante, utpotè perspicuis verbis ita tradente: „*in doloribus articulorum, veram sedem tormenti nondum satis definitam habemus*„ (a). Idcirco quo clarius appareat, quaenam articulorum pars ea sit, cui tanta exquisite sentiendi vis et facultas sit innata; non minus commodum nobis, quam necessarium erit, singulas quasque, quibus pes extremus compactus est & concinnatus, heic deinceps, quanta maxima fieri poterit breuitate, contemplari, ut inde eluceat, cui harum partium tam acerrimus sensus vni acceptus sit referendus? qua perspecta et cognita, nihil dubii nobis reliquum erit, quin facuissimos podagricorum dolores, quibus identidem torquentur, in hac parte consistere intelligamus.

§. III. Sunt vero extremi pedes variis et dissidentis ingenii partibus fabricati et constructi, velut cute vera, panniculo adiposo, musculis nonnullis, tendinibus, nervis, sanguiferis vasis, ligamentis, periosteo, ipsisque tandem ossibus, ut quae cuncta mira arte, opere et ordine, quaeque suo loco disposita inter seque affabre connexa, ut totum pedem, ita quoque eius extremum, constituent. Ut autem κατά τάξιν procedamus, ab exteriori eorum integumento, quod vera cutis est, cum obducta ipsi epidermide, quippe oculis nostris primum obuia, sermonis telam exordiamur. Cuticulam nullo sensu esse dotatam, non est, ut res vnicuique satis cognita, quod hoc loco multis probemus. Quae huic subiacer, ipsa vera cutis est, quam ex omni varietate fibrarum membranacearum, tendinearum, neruearum esse concinnatam, totque ac

(a) Element. Physiol. corp. hum. Tom. II. Libr. VII. Cap. de Secret. Sect. II. §. XXII. pag. 404.

ram tenerrimis vasculis, varic ludentibus, ita locupletatam, ut, his cera rubra differis, coccinei panni faciem induat (*b*), omnium fere Anatomes peritorum consentiens est sententia (*c*). Eam incredibiliter multis poris iisque minutissimis, et foraminibus conspectioribus esse pertusam, heic referre nihil attinet. Illud duntaxat de hac tacitus praeterire nequeo, eam extensionis, sine multo doloris sensu, esse patientissimam, vt in grauidis, hydropicis, pedum oedematibus, aliisque partium corporis inflationibus vnicuique abunde liquet. Illam quoque in corporis partibus diuersis, vt diuersa crassitudine, ita etiam varia ac discrepante sentiendi esse potentia, vulgaris velut experientiae est: in dorso enim et posteriore corporis parte ea quidem crassior, sed laxius esse contexta deprehenditur, quam in anteriore eiusdem, vt et in vola manuum ac pedum planta, vbi cutis in telam laxius densata conspicitur. Prout quoque eadem in variis corporis regionibus pluribus paucioribusue papillis nerueis, veris et folis sensus procreatricibus, instructa est, eo auctior vel tardior quoque isthic sensus vigeat, necesse est. Illud tamen perquam commemorabile est, cum RVYSCHIVS eas toto cruris et pedis ambitu inuenerit satis frequentes, non tamen vllas in pedis dorso vnquam deregere illi contigit (*d*): in digitis vero pedum adulti hominis papillulas satis spectabiles oculis suis deprehendit (*e*). WINSLOVIVS quoque auctor est, manuum volas ac plantas pedum cum vtraqueque digitis, eiusmodi papillis esse copiose obsitas (*f*). Quo autem pacto illae, e neruorum extremis enatae, in colliculos, multiugas in variis corporis regionibus species prae se ferentes, surgant, id hoc loco exponere neque nostra interest, neque nobis expedit: abunde enim mihi est, leuiter duntaxat et *ὡς ἐν παρόδῳ* tetigisse, vnde cutis suam sentiendi dulcedinem in iucundis interdum, acerbiteratem vero subinde in molestis atque iniucundis, depromat?

§. IV. Videas itaque, quam ob causam Ill. de HALLER, Vir scientiae medicae e tenebris, puto, quibus etiamnum occultata et circumfusa lateret, in lucem clariorem vocandae et a corruptelis repurgandae velut natus, nullus dubitauerit, Podagrae germanam featuriginem in sola vera cute quaerere, diserte pro-

A 3

dens:

- (*b*) RVYSCHIVS Aduersar. anat. Dec. III. No. VIII. Theaur. anat. II. Affer. VI. arca I. no. I. et arca II. No. III. not. 2. Thef. anat. III. Affer. II. No. XXXIV. (*c*) STENO, annotante BARTHOLINO Anat. renouat. Libr. I. Cap. II. WINSLOW Exposit. anatomique Tom. III. Traité des Tegumens §. 5. de la Peau. (*d*) Aduers. anat. Dec. I. No. III. (*e*) Ibid. Decad. II. No. VI. (*f*) loc. cit. §. II.

dens: *leur* (des douleurs aiguës de la goutte) *veritable siége est dans la peau & dans les nerfs, qui rampent sur sa surface interne* (g). Verum enim vero nonnulla sunt momenta, quae me suspensum detinent et impediunt, quominus tanti viri sententiae in his accedam, (id quod tamen venia eius et salua existimatione dixerò). Redeunt autem potiora eo dubia. Primum, quod huic vniuersali corporis integumento haud tanta, quanta ei asseritur; sentiendi est potentia, vulgari experientia loquente. Videmus quippe, eam identidem mirum in modum, idque non sensim pedetentimque, vt in grauidis, hydrope ascite, cetera, sed haud insolenter quoque subito atque improviso in plurifariis aliis morbis, heic deinceps recenseri haud necessariis, nimium quantum distendi, aegro vix quicquam doloris, praeterquam tensionis cuiusdam sensum, inde perferentiscente, vt in oedematibus pedum, omnium praecipue ex febrium μετασσει saepius ortis; quin etiam in hydrope *αναστοιχη* et *τημπεριση*, homini non insolenter satis repente ingruentibus, vbi cutis aliquando ad vsque disruptionis merum extensa cernitur. Tum si podagrici dolores in sola vera cute suam sibi figerent sedem, non sane vlla inde suppetit ratio, cur dolorum atrocitas nec aliis corporis partibus, quarum cutis, nisi acutiore, simili tamen sentiendi facultate poller, aequè crebro insideat, velut manuum volis, plantis pedum, cetera, ac pedis articulis? Deinde sensuum fide et testimonio comperimus, eam persaepe tundendo, atterendo, allidendo ad alia corpora dura, multiuges accipere iniurias, vix villo exquisito, praeterquam quodam subinde obtuso et hebeti sensu, indidem mortalibus eueniente (h). Post testantur omnium Obseruatorum monumenta, dolorum in podagra fomitem haudquaquam in pedis superficie, ideoque eius vera cute, sed in profundo nunquam non reconditum haerere, ibidemque eorum acerbiteriam ab aegris potissimum percipi; id quod multo secus his euenire necesse foret, si dolores in hoc mali in vera solummodo cute consisterent, vt Illustri Viro persuasum est (i). Tum si podagrae latibulum sola vera esset cutis, eius tophi, quos inueterata plerumque profert, nullo non tempore in cutis externa facie appa-
rent,

(g) Memoires sur la nature sensible & irritable des parties du Corps animal; Mem. I. Sect. I. pag. 22. (h) Bartholom. MAGGIUS de Vulner. sclopet. curation. PLATNER Institut. Chirurg. rational. §. 157. (i) ETTMÜLLERVS Part. II. Oper. med. Libr. II. Sect. I. Artic. VIII. Videat. HOFFMANNVS Medic. ration. System. Tom. IV. Part. II. Sect. II. Cap. VIII. §. III.

rerent, foret necesse; *avrosta* e contrario cuilibet ostendente, eos nequaquam in cutis superficie obuios esse, sed semper sub ea in profundo abstrusos. Notissime si tantorum cruciatuum, quibus podagrici torquentur, sensus in sola vera cute resideret, eorum facillima esset expeditissimaque extirpatio, quia medicamentis topicis accessus et aditus ad eam patet facillimus; quum tamen experientia constet, malum hoc rarissime, nisi forte eius principii in tempore obliteris, medicabile esse. Quae cum ita sint, liquido cuius inde appariturum censeo, cur a Viri illustris sententia stare nequeam, fontem, unde tam facuissimi dolores emanent, in cute vera statuatis. Quenam vero pars illa pedis sit, tam vehementissimis doloribus ciendis aptissima, id ex infra dicendis clarius elucebit. Nostrium enim in praesenti est, singulas quasque eius partes, quae affabre inter se colligatae et connexae pedem extremum progignunt, breuiter perscrutari. Lustrata igitur vera cute, quoad eius fieri necesse fuerit, ordinis ratio exigit, ut ceteris ad eum pertinentibus contemplandis nos accingamus.

§. V. Alterum proinde, quod verae cuti *αίματος* substratum haeret, inuolucrum, est sic dictus *panniculus adiposus*, cui expendendo tanto minus immorari attinet, quanto magis inter omnes rei medicae peritos constat, eum sensus omnis omnino expertem esse, proptereaque cruciatibus concitandis plane ineptum. Eo igitur misso, ad istas pedis partes, quas penitus intelligere mea pluris interest, ingrediar, altius inspiciendas, quae sunt *musculi cum tendinibus* inde dependentibus. Quod ad illos attinet, pauci eorum in pedis extremitate obuii sunt, nec hoc loco commemoratu necessarii, ne ea hic aggesturi videamur, quae alii iam latius sunt profecuti. Illud ergo duntaxat de iis meminisse conuenit, esse, qui musculis sensum valde acutum attribuere, ideoque podagrae nidum in eisdem ponere sustinent (k). At vero tametsi eis sentiendi vim non denegem, sed lubens concedam: tantum tanten tantumque acerrimum iisdem sensum non putem assignandum, ut podagricorum et arthriticorum esse obseruatur, quippe qui saepenumero prae dolorum immanitate nesciunt, ubi leuamenti quid iis reperiant. Ostendit potius experientia, eos quidem doloris sensu, sed minime tam acerbissimo et tristissimo, quam podagricorum est, subinde affici: quod animaduertimus, eos, si Chirurghi membra putrefacta incidere atque in torum aliquando eradicare coguntur, saepius.

(*) GOELLI Compend. Prax. clinic. Lib. VII. Cap. I. §. 2.

pius medios interfecari multo obtusiore dolore, quam nervos et ossium inuentientes membranas. Quid? quod experientia exploratum habemus, ipsum cor, quod musculorum princeps est, interdum inflammationibus, abscessibus, vlcibus aliisque malis tentari, nullo insigni dolore indidem homini obtingente. Ill. v. SWIETEN Auctor est, totum cor in morbis ardentissimis adeo agitatam, inflammatum &c. non dolere, sed anxietatis sensum molestissimum oriri (l). Et quantos nonne quamque intolerabiles semper animantia sustinerent cruciatus, artus sui corporis validissimis motibus agitantia, si musculorum tam exquisitissimus foret sensus, quam eis ab aliquibus affingitur. Sed haec de musculis haecenus, ne nimium longi simus in iis, quae sensuum fide et testimonio se facile tuentur.

§.VI. Ne autem de coepto viae cursu deflectam, quam in singulis quibusque pedis extremi partibus perlustrandis suscepi persequendam, in eo est, ut musculorum etiam tendines, quantum potest, rimemur, perspecturi, an eorum tanta tamque immanis sentiendi sit potentia, quanta a plerisque medentium eis, communi fere illorum omnium consensu, tribui solear. Quam plurimi enim Medicorum, hisce partibus cum ossium vinculis podagrae sedem comminiscuntur, idque sola ista persuasione, quod tendines omnium corporis partium acerrime sentientes existimant. Verum enim vero Ill. de HALLER quam plurimis experimentis, in multifariis vivis animalibus eo consilio adornatis, deprehendit, tantum abesse, ut tendines tanto polleant sentiendi acumine, quantum rei medicae scriptores iisdem affingunt, ut nec vlllo quidem, vel minimo, sensu praediti esse animaduertantur. Grauiissimis quoque testimoniis eodem loco confirmatum dedit, haec se non primum in lucem protulisse suoque ex ingenio depromississe; sed complures etiam alios de re medica optime promeritos Viros, iam dudum eadem cognita habuisse ac perspecta. *Jobum van MECKREN* enim iam pridem verbis prodidisse testatissimis, tendinibus parum esse sensus (m): cui nec abluisset *Bryan ROBINSONEM*, indidem diserte tradentem, canes viuos vix quicquam doloris pensensisse a tendinibus irritatis (n). Congruere quoque his *Georg. THOMSONEM*, pariter claris verbis ostendentem, tendines laesos vix quicquam, vel certe perparum, dolo-

(l) Commentar. in Herm. Boerh. Aphorism. Tom. I. §. 220. p. 357.

pag. 162.

(n) Animal. Oeconom. p. 90.

(m) Obseruat. Centur.

doloris percepisse, sibi esse animaduersos (o). Id quod etiam cum in cane, tum in homine, SCHLICHTINGIO obseruatum esse (p). Quid? quod idem modo celebratus de HALLER in variis quoque hominibus, quibus tendines fauciati fuerunt, obseruando notauit, eiusmodi vulneratos nihil quicquam doloris ex irritatis ferroque lacessitis tendinibus cepisse, argumento vix vllis aliis testatori, tendinibus musculorum nihil, secundum naturam, esse sensus, etiamsi omnes propemodum Auctores, vel doctissimi quique, eum tendinibus vindicare conentur, multisque verbis in suis monumentis efferant. Et profecto sermo mihi nimium longus esset futurus, cuncta ista experimenta heic expromere conaturo, quae *illustr. et excell. de HALLER* in viucentibus instituit; adeat, cuius ea cognoscere interest, citatum supra eius librum, qui inscribitur: *Memoires sur la nature sensible & irritable des parties du Corps animal*, vbi hoc argumentum de industria inueniet demonstratum. Tot tantisque his Viris adiungere mihi liceat PLATERVM, similiter tendinibus sentiendi vim denegantem et significatius prodentem: illis vel nullum, vel obscurum sensum inesse (q).

§. VII. Necui vero in opinionem veniat, me tanta testium nube, qui tendinibus quicquam sensus esse omnino negant, inductum, nec vllis experientiae adminiculis suffultum, omnem sentiendi vim adiudicare; mihimet liceat, quae experiendo magis quam discendo cognoui, tantorum Virorum experimentis superioribus subnectere, quo dictorum veritas inde explicatior prodeat atque illustrior. Ego in patria mea commorans meis ipsius oculis vsurpauit quempiam opificis tironem, qui tirocinii sui et laboris pertaesus, sibimet ipse digitum indicem praeciderat. Chirurgus continuo in auxilium vocatus, me praesente, tendines hunc digitum flectentes, cultro resectos et paulum propendentes, voffella prehensens, me auctore et suafore, prorahaebat, ex eo sciscitans aliquoties, num inde dolorem sentiret? sed adolefcens hic, se quicquam indidem doloris sentire, omnino negabat, id quod et mihi, et Chirurgo tam maxime mirum videbatur, et statim dubitandi occasionem dabat, an etiam tanta tendinum esset sentiendi facultas, quanta Auctoribus celebratur? Aucupatus igitur sum occasionem aliam similia tentandi, et, ecce, pau-

B

cis

(o) Anatom. of human body p. 170.

(p) Traumatolog. p. 211.

(q) Prax. libr. II. Obseruat. I. cap. 16. pag. 582.

cis quibusdam praeterlapsis hebdomadibus, quum hoc iam argumentum meditarer et Dissertationi inaugurali destinarem, copia mihi facta est simile experimentum iterandi, in pistore quodam huius vrbis, cui digiti indicis apex erat contusus, vnde is inflammatus in suppurationem abibat tantam, vt Chirurgus cogeretur, digiti integumenta, secundum eius longitudinem, incidere. Directa itaque hoc pacto illa vagina, qua tendines musculorum sublimis et profundi reconditi latent, ea prius reclusa, ipse dictos tendines, volsella quadam apprehensos, dedita opera violentius lacessui quoquoersus sollicitando. At aeger, saepius id rogatus, num sibi doleret? nihil se quicquam inde doloris percipere, ingenue fatebatur.

§. VIII. Praeterea quoque ab doctissimo D. IAGERSCHMIDIO, Viro in medendi scientia exercitatissimo, Physico Dynastiae Saufenburgensis meritissimo, accepi, se cum Chirurgo quodam hoc anno victori cuiquam sauciato auxilium tulisse, cui tendo Achillis ex dimidio falce foenaria fuisset dissectus, cui nihil acerbi nec quicquam periculosi ab hoc vulnere euenisset; quid? quod, quamuis nec discissam quidem huius tendinis partem consuisset, sed duntaxat conuenientia medicamenta externa vulnerato adhibuisset, is tamen nihilo fecius breui tempore ex hoc vulnere omnino conualuisset, non sane vlla noxa seu detrimento inde aegrotanti vsu veniente et relicto. Nec multum mihi negotii esset plura de tendinum vulnerationibus in medium adducere, nisi mihi metuendum, ne Dissertatio haec longius prouheretur, quam proposita mihi breuitas permitteret. Ex his proinde tam multis in medium allatis experimentis atque exemplis, vnicique ipsa luce clarius iam apparituum esse existimem, quantis erroribus implicentur, qui sibi etiamnum nostra memoria persuasum habent, tendines, ex constanti naturae lege, tam acutissimo sensu esse dotatos, vt iniuria quadam lacessiti, alioque modo grauitur affecti aut vulnerati, illico laesis periculosissima arcesserent mala et acerbissima.

§. IX. Neque exputare possum, quem vtilitatis fructum tendines ex eiusmodi *αιδεσει*, quae eis communiter adscribitur, percipiant, quum ex fibris valde tenacibus, densissima compactione coagmentatis, inque corpora vel teretia solidatis, vel in lata et plana, membranae habitum imitantia, explicatis, consent, quae, musculis eorum in motum seu actionem agitatae, nihil omnino *ενεργητικως*, sed duntaxat *παθητικως* se gerunt: hinc quoque est, cur iustissima

fima ratione tendines nominentur; quod instar chordae in arcu tenduntur. Quodsi enim tam incredibili sentiendi virtute, quam eis assignari consuevit, valerent, nihil certe dubii est, quin mortales, in primis qui corporis artus assiduis iisque grauissimis interdum laboribus exercent et defatigant, quoties eos mouerent, vehementissimos indidem et acerbissimos capturi essent dolores. Deinde si tam sensibiles forent, vt plerorumque fert opinio, vix vlla fatis firma suppetit ratio, cur natura eos, in multis corporis partibus ad extremas iniurias, insidias, ictus, impetusque multifarios ac violentos, non tutiores et reconditiores esse voluerit? Videmus enim tendines, digitos manuum et pedum extendentes, in hominibus praesertim macilentis, facis nudos et ab iniuriis externis parum communitos, per commemoratarum partium dorsa ad digitos perferri, nec vllis aliis integumentis, praeterquam cute et panniculo adiposo contactos et a violentis laesionibus defensos. Quis vero ignoret, quot quantosque et quam plurifarios nonne externos impetus haec partes identidem exceptos sustineant, a solidis varii generis saepeque perduris corporibus, vix nonnunquam fatis magna, in eas irruentibus aut vndecunque incussis, vix tamen vlllo, vel certe exiguo doloris sensu inde hominibus exoriente.

§. X. Omnium vero clarissime hanc tendinum *αιαιθισιαν* faciunt omnium oculis testatissimam futurae illae, quibus disrupti, discissi, alioque pacto diremti tendines, solertia Chirurgorum collecti et inter se coniuncti confuuntur. Neminem quippe artis vulnerariae adeo ignarum aurumem esse futurum, qui nesciat, tendinibus manuum vel pedum dorso incumbentibus et ad eorum digitos contendentibus; vel etiam aliis tendinibus, ossi tibiae aut calcaneo affixis, si quomodocunque vel casu in terram, vel saltu repentino fuerint disrupti, aut acuto ferro interfecti, ab auxiliatricibus medici vulnerarii manibus, mira sane arte, futuram quandam subinde impingi, qua disiunctae eorum et a se inuicem distractae partes rursus inter se confociatae colligataeque continentur, ita, vt denuo in vnum corpus solidefeant, ad pristina sua munia obeunda iam aequae appositum, atque antea. Tendines ita percisissos iam antiquitus a SALICETO ET LANFRANCO, euentu felicissimo, rursus confarcinatos esse, *Guido de CAVLIACO* auctor est (r); quantumuis chirurgica haec operatio nec antiquioribus incognita fuisse videtur, HEISTERO teste (s). Superiori au-

(r) Traët. de vulner. 3. Cap. 4.

(s) Chirurg. part. II. Cap. 172. et 173.

tem acuo ea demum a compluribus solertissimis ingeniis crebrius celebrari coepta est ac peragi, idque quam optimo successu, velut a VESLINGIO (t), M. A. SEVERINO (u), Felici VVRTZIO (w), PVRMANNO (x), BIENAISE (y), multisque aliis. Quid? quod TESSIERVM in suo ipsius corpore tendines, felici exitu, consumpsisse, PARAEVS prodidit (z). ETTMÜLLERVS quoque hanc operationem, inquit, Parisiis se vidisse feliciter peractam (a). COWPERVS quoque chordam Achillis diuisam iniecta ei futura conglutinavit (b). Ex in medium igitur allatis exemplis luculenter iam duco appariturum, tendines non manus solum, sed etiam pedis, velut quatuor istorum insignium musculorum, tibiam extendentium, pluries a compluribus magni nominis Medicis, euentibus laetissimis, confarcinatos fuisse et resectos. Vnde quoque est, cur b. HEISTERVS sit maxime miratus, quemadmodum fieri posset, vt tendines acui, filum trahente, trañci, non inde vllis tristibus malis consecutis, possint, aperteque ac ingenue confessus, se haec explicare nescire, quamuis in confesso forent atque obseruationum fide et testimonio abunde comprobata (c). Quae quum ita sint, vnique duntaxat curatius perpendendum relinquam, quomodo fieri posset, vt dirempti tendines futura quadam inter se connecti possent, sine vllis, vel saltem leuissimis quibusdam, occurrentibus aegro accidentibus, si eis sensus esset tam exquisitissimus, quam haecenus et etiam nunc compluribus persuasum est: Et anne ex tot tamque innumeris, in hominum corpore adornatis, obseruationibus sole meridiano clarius eluceat, tendines omnes omni omnino care sensu?

§. XI. Tandem nec dum conuenit inter rei anatomicae peritos, nerui tendinum interiora ingrediantur, nec ne? FABRICIVS enim ab *Aquapendente* et RIOLANVS, Thom. BARTHOLINI testimonio (d), planissimis verbis ostendunt, nullos in tendinum abditioribus se recondere neruos: namque multa sectione sibi neruos, qui in musculorum carnem diffunduntur, esse obseruatos

(t) Obseruat. et Epistol. XV. (u) de efficaci medicin. L. II. cap. 123. (w) de vulnerib. cap. 14. (x) in Chirurg. curios. p. 540. qui eam a se duodecies exoptato euentu esse perperatam confiterur. (y) vid. VERDVC Operat. de Chirurg. eap. 32. (z) Operat. chirurg. libr. XXV. c. 17. (a) Chirurg. medic. de nerv. vulner. (b) Act. Anglic. num. 252. et Act. erudit. Lips. ann. 1700. p. 28. (c) Libr. cit. cap. 173. (d) Libr. supra citat. Libr. I. Cap. V. p. 39.

tos in minimos ramulos dispergi, euntes in flexum quendam membranosum, et deinde in nihilum abire seu desinere, ante quam in tendinem veniant. Quibus etiam Ill. de HALLER ad stipulatur (e). Et si verum fateri fas est, mihi non silentio dissimulandum, plerosque Anatomicorum, si a VIEVSSENIO et WINSLOVIO discesseris, nihil omnino eorum meminisse neruorum, qui per tendinum interiora disseminari creduntur. Ac licet laudati bini Anatomici in suis Neurographiis nonnullorum ramulorum, quos ad tendines contendere perhibent, mentionem quandam faciant; non tamen satis distincte dicunt, qua et num in eorum recessus interiores, id quod vehementer dubito, se inferant. Non enim in re anatomica satis est dixisse, nerueas propagines ad tendines protendi seu exporrigi; sed dilucidius magisque perspicue tam egregiis Viris expediendum fuisset, an eorum penetralia et qua eo subirent (f)? Longe vero aliter rem ferri, nec quicquam neruci tendinibus committi, maxima fedulitate exploratum iuerunt *Urbain* TOSSETTI, *PALIANI*, *BALDVINI* et *Marc Antoine* CALDANI, omnes Itali celeberrimi, qui summo studio nervi ischiatici propagines inuestigarunt, vt clarius perspicerent, quid veri falsive in opinione multos neruos tendinibus comminifcentium esset. Perscrutati praeter complures alios neruos, imprimis exteriorem ischiatici rami, a latere tendinis Achillis decurrentem, vbi deprehenderunt, multos quidem, ex ipso nerueo trunco diffusos, ramulos in huius tendinis inuolucrum cellulosum disseminari, ibidemque miris modis sibi implicari; sed non eorum vllum, nec minimum quidem, se in eiusdem interiora abdere (g).

§. XII. At enim, si tendines *ἀνωσθηται*, quaenam tamen foret ratio, quod mortalibus, qui sanguinem miserunt, si sectione venae tendo, ei subiectus, phlebotomo foret pertusus et laesus, tam luctuosissima nec raro funesta mala euenirent? nemini enim non in anatomicis vel mediocriter duntaxat versato, haud incognitum erit, venae sic dictae medianae in brachio *ἀπὸ τοῦ ἑσθίου* quandam, a tendine muscoli bicipitis natam et musculo pronatori rotundo obductam, esse subiectam, quae per fossa vulneratae, ingentes homini dolores

B 3

(e) Libr. cit. Tom. I. Mem. I. pag. 17. (f) VIEVSSENS Neurograph. uniuersal. Libr. III. Tab. XXVIII. n. 107. et Tabul. XXIX. n. 109. WINSLOW I. c. Tom. III. Traité des Nerfs. n. 230. 331. 340. (g) vid. de HALLER Mem. cités Tom. II. Mem. XVI. 4me lettre du P. *Urbain* TOSSETTI et Tom. III. Mem. XVII. lettre de Mr. *Marc Antoine* CALDANI.

dolores et mala periculossissima haud insolenter arcessere traditur. Is habere, eiusmodi, quae hanc laesionem excipiunt, calamitares nequaquam dictae aponeurosi acceptas esse ferendas; sed isti nervo mediano, qui arteriae brachialis comes affidet, et sub illa aponeurosi ἀμεσως situs est; vel etiam nervo musculo cutaneo, qui intra musculorum bicipitis et brachialis, alias vſitatiore nomine brachialis interni dicti et noti, fines, in cubiti flexum, ἀμεσως post venam medianam delatus, curi verac de ramis prospicit (b); aut illi etiam ramo nervo, qui a nervo cutaneo interno profectus, et venae basilicae splenicæ comes haerens, sub venam medianam deorsum ad lacerti et manus partes pergit (i), vni asserendas et vitio culpæque dandas, vt qui venae medianae sectione icti et punctim vulnerati, dolores tales acerrimos aliaque mala grauissima eis, quibus sanguis detractus est, infligunt. Hincque videas cur Medici vulnerarii, eiusmodi malorum et cruciatuum prouentum a vena mediana, phlebotomo incisa, animaduertentes, ob non intellectam ipsius tendinum ἀνααιθισιαν, eorum causam in horum laesiones, animo nimium praecipiti contulerint, et ita fallaciam non causae vt causae commiserint, quum tamen eiusmodi infauti effectus iure veriori ictis et confixis nervis vnis fuerint adscribendi. Operae pretium mihi visum est in hoc, de haecenus credita tendinum sentiendi facultate, argumento paulo latius excedere, eamque et rationis et experientiae testimoniis confutare, vt istam opinionem, in medentium, vel doctissimorum, animis etiamnum altius insidentem et velut fixam, omnino conuellerem atque ex iis euellerem. Verum ne pluribus morer in istis, quae ab illustri de HALLER fusius atque doctius, de tendinum ἀνααιθισιαι enodata et demonstrata legi possunt, ad reliquas pedis extremi partes prosequendas progrediar.

§. XIII. Perluſtratis igitur tendinibus, ex vsu erit vel illas considerare partes, quibus ossa apta connexaque inter se continentur, quaeque ideo *vincula* seu *ligamenta* appellantur, et quibus recentiores medentium itidem vim acutissime sentiendi concedunt, propterque ea arthritidis et podagrae sedem germanam comminiscuntur. At vero consulturi veteres Auctores, hisque antiquiores, nullo negotio, eos ad vnum fere omnes in eo conuenire deprehendemus, in ossium ligamenti nihil quicquam sensus esse. REALDVS enim COLMVVS memoriae prodit, ea omnis sensus esse expertia (k); cui accedit THOMAS

BARTHO-

(b) WINSLOW libr. et Tom. cit. §. 224. 228. (i) Idem eod. loc. §. 239. et 240. (k) Libr. de re anatom. Libr. III. de Ligament. pag. 192.

BARTHOLINVS, similiter, ea sine sensu esse, planissime scribens (*l*), quibus
 nec BARBETTE & DIEMERBROECK abludunt, quorum ille ligamenta ex se
 omnia destitui, inquit, motu sensuque (*m*): hic vero, ligamenta, ait, quae
 ossa colligant, carent sensu (*n*). Accedunt eodem TAGAVLTIVS (*o*), FERNE-
 LIVS (*p*), RIVERIVS (*q*), PLATERVS (*r*), & complures alii, qui vniuersi vno
 ore vnaque mente consentiunt, ossium vincula sensu omni omnino vacare.
 Clopton HAVERS credidit quidem, vt ipse faterur, ligamenta aliquo gaudere
 sensu; verum nullibi id, neque rationibus, neque obseruatis, demonstratum
 dedit, sed pro suo folius arbitrato duntaxat supposuit, quo varia mala & phaenomena
 inde facilius expedire valeret (*s*): quo cum etiam facere videtur SALZ-
 MANNVS, pariter ossium vinculis aliquid sensus, eiusque obscuri, concedens,
 itidem nullis, neque rationis, neque experientiae fulcris subnixus (*t*). Pluri-
 mi vero recentiorum eo impudentiae procefferunt, vt ossium ligamentis non
 texturam solum, nescio quam, nerueo-tendineam affingere sustinerent, sed
 insuper etiam vim sentiendi immanem, quas tamen vtrasque nec sane ulla in-
 expugnabili, neque probatione, neque experientia, euicerunt; sed alius alii
 bona fide succinunt. *Illustris* itaque de HALLER omnium & clarissime & opti-
 me perspicuus, quam parum argumenti hic commentitius & fictus ligamentor-
 um habeat sensus, veritatis studio inductus varia variis in animantibus viuis
 suscepit experimenta, quae cuncta hoc loco enarrare, neque vacat, neque ex-
 pedit, neque attinet. Compendii ergo facturus, quae a Viro hoc laudatissimo
 in eius monumentis planius ac plenius relata & explicata legi possunt, haec pau-
 cula tantum mihi videor subiungenda, illum in nullo eorum animalium, quae
 rot totiesque ab ipso repetitis experimentis subiecit, quicquam doloris, nec
 minimum quidem eius signum, vnquam animaduertisse, quantumuis acerrima
 quaeque, velut oleum vitrioli, cetera, ligamentis denudatis admouerit, alioque
 modo eadem instrumentis acutis quam violentissime irritauerit & lacerauerit,
 argumento, quo nihil testatius est, nihil evidentius, ossium ligamenta sensu
 omni omnino orba esse & vacua (*u*). §. XIV.

- l) Libr. adduct. libell. IV. Cap. III. m) Chirurg. p. 390. n) Anat. Libr. X. Cap. 2.
 p. 838. o) Institution. chirurgie. Libr. II. Cap. XIII. p) Physiolog. Libr. I. Cap.
 II & IV. q) Prax. medic. Libr. XVI. Cap. I. r) Libr. & loc. allegat. §)
 Osteolog. nou. Discurs. III. p. 216. & Discurs. IV. p. 305. t) Diff. de articulationi-
 bus artuum. Argent. 1712. habita Cap. I. §. VIII. u) Libr. cit. Tom. I. Mem. I. Sect. I.
 p. 20, 21. & Mem. II. Sect. II. p. 138. & seqq.

§. XIV. *Illustri de HALLER* socium adiungere placet *Richard. BROKLESBYVM*, natione Anglum, qui pari modo in diuersis bestiis multifaria instituit experimenta, vt experiretur, an ligamenta sensu forent praedita, nec ne? Infillauit ille pariter nudatis ossium vinculis liquores causticos multiuges, vnde animal nihil doloris persensit, quoad stygius hic latex solis ligamentis innatauerit; quam primum vero idem vicinas & conterminas contegerit partes sensibiles, statim illud insignis doloris notas prodebat (x). Sed diceret aliquis, sensuum tamen fide constare, complares neruorum furculos multiplici sobole in ligamenta dispergi: *VIEVSENIVM* quippe multis locis docuisse, ea nerueis ramusculis locupletari (y); quo cum etiam consentire *WINSLOVIVM*, pariter confirmantem, ligamentis ossium de neruis satis esse prospectum (z), quonam igitur iure & qua ratione hisce ossium vinculis omnis sentiendi potentia denegari posset, quum in aprico esset, per neruos partibus mollibus corporis quibuscunque sensum; & motoriis, praeter eum, motum quoque suppeditari. Iam vero quum ligamentorum, vulgari experientia, nullus esset motus, vix quicquam dubitationis superesse, quin hi nerui dictis ossium ligaminibus sentiendi vim impertiant. Verum ita ratiocinantibus sciendum est, primum ligamenta ossium vasorum abundantia affluere & ditari: *RVYSCHIVS* etenim ligamenta, quibus ossa inter se connexa aptaque colligantur, tot arteriolarum myriadibus scaturire tradit, vt his cera rubra effertis, colore rubicundissimo suffusa conspiciantur (a); has vero arterias neruorum, pro motu et sensu sui, indigere, nemo non facile perspiciet. Deinde eadem vincula membrana *περιosteω*, cuius sensus est acerrimus, *ἀμεσως* obduci et contegi, ex posthac dicendis clarius patebit, quae proinde vtiq; sua ipsius causa, itidem plurimis neruis eget. Nae illi ergo vehementer errant, opinantes, illos neruorum furculos, quos ad ossium vincula adspirare perhibui, ipsos ligamentorum fibris arctissimo nexu illigari atque innecti. Non enim Anatomicorum ullus demonstrauit, nec vnquam oculis conspiciendum subiicere valebit, istos neruos, qui se ligamentis inferunt, horum staminibus implicari et *ἀμεσως* annecti.

§. XV.

- x) Libr. cit. Tom. II. Mem. X. exper. III. IV. y) Libr. cit. Cap. VII. Tab. XXV. n. 130. & Tab. XXIX. n. 44. z) Libr. & Tom. cit. Traité des Nerfs. §. 230. 235. 337. 340. 352.
 a) Thesaur. anat. I. N. III. Aduersar. anatom. Decad. II. Tab. I. Fig. I. lit. D. & Thesaur. anat. V. N. XXV. not. 2.

§. XV. Praeter eas nunc in medium allatas, de ligamentorum, mollibus ossium commissuris circumvolutorum *α αιθησια*, experientias, insuper quoque haec de ea adhuc dubitantibus animo secum curarius agitanda et voluenda commendabo, anae mortales nunquam non vehementissimos et acerbissimos dolores essent persensuri, corporis sui artus motibus praecipue validioribus et vehementioribus cientes & agitantes, si ligamentorum tam acerrimus et exquisitissimus foret sensus, quam multi medentium eis vindicare satagunt? et quid demum fieret illis, velut mercenariis, operariis aliisque huius fortis, qui diurnis laboribus iisque grauisimis ac durissimis, ob curtam, quae ipsis subinde est, supellestem, corporis sui artus frangere et defatigare coguntur? nonne illi, quoties membra sua mouerint, toties semper cruciatibus articulorum tristissimis afficerentur & torquerentur? hinc quoque est, cur *Reald. c. o. lvm evs* miris laudibus naturae providentiam exulterit, in hisce ossium vinculis fabricandis, aperte fatens: si praediti essent sensu syndesmi, homines, quum artus mouerent, non possent non semper laborare (a).

§. XVI. At vero inquires, ossa mollibus commissuris inter se apta connexaque, sicque motibus facile expediteque, pro animantium arbitratu, edendis atque expediendis fabricata, ligamentis suis orbicularibus vel, si malueris, capsularibus tam provide, in iuncturis istis esse extrinsecus cineta circumseptaque, ut ab artuum motu, ad mentis imperium peracto, dictis vinculis nihil quicquam molesti et acerbi inferri possit. Tam corrupte de ligamentorum *αναιθησια* iudicantibus, ossis humeri cum scapulae connexionem et copulationem, suadeo duntaxat exquisitiori examine perpendendam, vbi inuenient, conglobatum illud segmentum, quod in ossis humeri capite est obuium, maxima sui parte, a ligamento illo, hanc iuncturam suo ambitu adstringente, *αμεσως* comprehendi & coerceri; minima vero sui parte in cauitate ossis scapulae *γληνοειδει* insidere & contineri. Namque cauitas haec admodum parua est, nec profunde ossi scapulae insculpta, sed tantum leuiter sinuata (b), tam amplo capiti, quam ossis humeri est, suo complexu coercendo & continendo inepta, neque satis capax. Humeri enim caput multo maius est, &, non errauero, si dicam, ter tanto amplius illa *γληνη*, in qua agitur & se vertit. Quum igitur humeri globosum caput in tam exiguo & leuiter depresso scapulae sinu

C

recon-

a) Libr. & loc. add.

b) WINSLOW libr. cit. Tom. I. Traité des Os secs. §. 614.

recondi & totum quantum contineri nequeat; maximam eius partem intra humeri orbiculare ligamentum duntaxat cohiberi & contineri, necesse est. Iam vero quum hoc vinculum dicti ossis caput *ἀμεσως* amplectatur, & ita complexum cum scapula connexum teneat: liquido apparebit, non posse fieri, quin globosa illa humeri pars singulis quibusque brachii agitationibus ligamento huic illisa & attrita quantam vim cunque inferat. Atque quoniam vinculum illud, huic articulo circumdatum, solummodo membranaceum est, ideoque ossi humeri cum scapulae copulando, continendo, & intra mouendum, coërcendo non satis par: hinc natura huic ligamento, per se solum minus firmo validoque, ad commemorata ossa coniungenda inter seque continenda, alia insuper adminicula adiuncta voluit, quae illi adiumento essent & stabilimento, quo humeri caput intra circumscriptos ei cancellos efficacius cohibere valeret, nec tam facile e sinu elabi atque excidere sineret. Etenim memoratu perdignum est, tendines, vel potius aponeuroses, musculorum supraspinati, infraspinati, rotundi minoris & subscapularis, in vnam velut omnium communem confundi *ἀπονευρωσιν*, late patentem, quae ligamento huius iuncturae orbiculato *ἀμεσως* obducta & arctis nexibus illigata, adnascitur, cui omnium potissime acceptum est referendum, cur humeri os, inter tam plurimos, tamque multiuges & incitatissimos brachii motus & agitationes, aegerrime e sinu suo emoueri & luxari queat. Quantum quamque plurimum hae *ἀπονευρωσεων* copulationes inter se & adhaesiones, ut & cum humeri ligamento coagmentationes, afferant momenti ad faciliorem, commodiorem & a facili luxatione tutiorem brachiorum motum, illud hoc loco minutius scrutari & confectari, neque nostrum est, neque attinet (c). Sed satis superque de ligamentorum *ἀνευθροσις* dixisse mihi videor, quocirca ad cetera, in pede extremo obuia, transeo breuiter contemplanda.

§. XVII. Partium igitur series nos ad ipsum *periosteum* ducit, quod quum ego mihi extremum proposuerim, commodum mihi visum est, ipsa ossa & glandulas *HAVERI* breuiter percurrere prius, quam ad eorum involucrum excutiendum progrediar. Quod ad *ossa* itaque attinet, neminem, autumo, facile esse futurum, qui eis quandam sentiendi virtutem asserere sustineat, experientia vulgari abunde ostendente, ea variis instrumentis radi, aduri, ferra

secari,

c) WINSLOW Livr. cité Tom. II. Traité des Muscles, §. 211. 212. 214. 251 & seqq. SALZMAN-
NVS Diff. cit. Cap. II, §. 1.

secari, confringi, multisue aliis modis laedi posse, non sane vlllo, nec minimo, vllius doloris sensusque vestigio vnquam inde apparente; testimonio omni exceptione maiori, ea omni sensu vacare. Id quod etiam vniuersi fere anatomiae addicti contendunt (d): quanquam *Clopt.* HAVERVS ea quodam sensu interno condonata esse tradit (e), a quo nec multum diffidet WINSLOVIVS, similiter statuens, certas ossium partes sensu aliquo, quantumvis exiguo maximeque obtuso, instructas videri (f). Verum enim vero licet etiam demus, ossibus aliquid sensus esse, is tamen vsque adeo hebes, tardus & exiguus erit, vt nec attendi quidem mereatur. Ne igitur & tempus, & operam frustra heic conterere velle videar, de ossibus amplius dicere mitam, praesertim quum Medicorum nullus vnquam arthritidis aut podagrae rudimenta & incunabula in ossibus posuerit.

§. XVIII. Pergamus igitur illas *glandulas* lustratum, *mucilaginosas* quas HAVERVS nuncupavit, quae nunc ossium iuncturis internatae conspiciuntur, nunc earum vinculis intus innexae deprehenduntur, & scatebrae illius vnguinosi laticis sunt, qui ossium capitibus, laxa commissura inter se connexis, illinitur pro agiliori eorum motu, & ne crebro isto mutuo attritu inter mouendum iacturam quandam faciant. HAVERVS, primus eorum inuentor, illas pro glandulis veris venditavit. Cui RVVSCHIVS, aduersum tenens, litteris prodidit, eas perperam HAVERO pro glandulis esse habitas, nihilque aliud esse, nisi admirabilem quempiam apparatus, ex meris iisque subtilissimis vasculis sanguineis constat, qui vsque quaque oblitus foret materia quadam lubrica, pinguedinem aemulante. Linimentum ergo illud lubricum, quo articuli iniunguntur, neutiquam glandularum, sed arteriolarum ope a sanguinis connubio separari (g). Sed quum mihi non conueniat eiusmodi rei me immiscere, ad me non pertinenti, quae multorum, vel doctissimorum, anatomicorum iudicii & disputationibus etiamnum in vtramque partem exagitur; illud hoc loco, quod in rem est meam, de his glandulis duntaxat in medium proferre placet, nimirum esse, qui vel his glandulis eximiam sentiendi potentiam referunt acceptam, ita, vt eis quoque arthritidis & podagrae sedem assignare non vereantur. Verum

C 2

enim

d) *Reald.* COLUMBUS libr., cit. Libr. I. Cap. I. pag. 4. *Thom.* BARTHOLIN. Libr. adduct. Libell. IV. Cap. I. BOEHMERVS Institut. osteologic. Cap. I. §. 21. e) Libr. allegat.

de Periosteo p. 27. & seq. f) Libr. cit. Tom. I. Traité des os fraîs §. 65.

g) Aduersar. anatom. Decad. II. N. III.

enim vero nec ipse HAVERVS quidem huius sensibilitatis, quae commemoratis glandulis esse putatur, vsquam in suo libro meminit. Etiam si quoque concederem, quod tamen nemo vnquam, neque rationis, neque experientiae fide probare poterit, dictas glandulas tanto sentiendi acumine, quantum aliquibus Medicis persuasum est, pollere, illud tamen duntaxat huic errori patrocinantibus pensandum curatius permitto, quanti quamque atrocissimi nonne animalibus semper cruciatus indidem orituri essent, si corporis sui artus, praesertim validioribus motibus, agitarent: quia hae glandulae in ipsis articulis conclusae haerent, neque vllis aliis adiumentis, nisi solis horum motionibus, suo liquamine, ossium iuncturas lubricante, emungi queant, dum ab ossibus motis comprimuntur atque hoc pacto liquido suo vnguinoso exhauriuntur (b). Tandem quoque, vt breuius me expediam, nemo hactenus vlllo experimento illum sensum, quo hae glandulae vt feruntur, fecit perspicuum: Ill. de HALLER contra sensuum & experimentorum testimonio probatum dedit, has glandulas omni sensu carere. Illiniuit quippe istas, in genu iunctura obuias, butyro animonii, & oleo vitrioli, animali illo nihil quicquam doloris inde sentiente, id quod oportuit tamen factum esse, si earum vllus fuisset sensus (i).

§. XIX. Perस्पектis igitur cunctis fere illis partibus, quae sua compagine extremum pedem constituunt, reliquum est, vt iam illas quoque membranas, quibus ossa obducta sunt & obrecta, quaeque ideo περισπείσει μνηρες h. e. membranae ossibus circumdatae dicuntur, paucis expediamus. Ex anatomicis constat, singula quaeque ossa, si eorum capita, quae mollibus commissuris, ad motum facilibus satisque promtis, inter se cohaerent; item istas dentium partes, quae supra gingiuas eminent, exceperis, membrana quadam cincta esse & contexta, περισπείσει quae vocatur, quae non ipsa solum ossa ἀμεινωσως obducit, sed vincula quoque ista, quibus ossa inter se coniuncta copulantur, extrinsecus ambit & circumspicit (k). Hinc quoque est, cur hic nomen peridesmii ab anatomicorum nonnullis obtineat (l). Membrana quippe haec περισπείσει, ossium corpora sepiens & obuallans, si eo loco adspirauerit, vbi ligamenta ossium copulationes extrinsecus ambiunt, ab ossibus discedens, dictis ligamentis particularibus

b) Libr. cit. Discurs. IV. p. 227. 228.

i) Libr. cit. Tom. I. Mem. I. Sect. I. p. 21.

k) WINS-

LOW Libr. & Tom. cit. §. 59. Clopton HAVERS' Libr. allegat. p. 19 & 20. Arab. KAAV de Perspiration. Hippocratic. Cap. XXXV. §. 856.

l) WINSLOW loc. cit.

laribus foris obtenditur & arcto nexu adnascitur. An illa vero intercedente quodam celluloso textu commemoratis vinculis adnexa sit, vt *Abrahami* ΚΑΑ V sententia est (m), a quo nec *PLATNERVS* dissentit (n); hoc pro comperto affirmare non audeo. De periosteo autem hoc heic meminisse, praetermittere nequeo, vniuersos, qui medica de re aliquid litteris consignarunt, iam inde ab antiquissimis quibusque temporibus huic ossium integumento maximam sentendi facultatem semper attribuisse; quibus tum recentiores, ad vnum omnes, tum recentissimi quique, creberrimae ac diuturnae experientiae suffragiis subnixi, consentiente omnium communi sententia, assensi sunt, contententes, illud sensus esse omnium corporis partium acerrimi, velut *HAVERVS* (o), *Reald. COLVMBVS* (p), *Tb. BARTHOLINVS* (q), *HEISTERVS* (r), *PLATNERVS* (s), *SALZMANNVS* (t), *RVYSCHIVS* (u), *WINSLOVIVS* (x), *Ill. van SWIETEN* (y) *DVVERNEY* (z), omnesque alii, heic deinceps nominatim proferri haud necessarii, quibus calculum quoque suum adiecit *Illustris atque Excellentissimus BOEHMERVS*, Praeceptor, Maccenas ac Patronus, mihi multis nominibus, ad vnas vsque religiosissime deuenerandus, qui pariter periosteum eximio & singulari censet esse sensu (a).

§. XX. Tot tamque praeclarissimorum horum Virorum sententias aduersum tenet *Ill. atque Excell. de HALLER*, diserte prodens, nec huius membranae *περιosteον* tantam esse sentiendi potentiam, quanta Auctoribus omnibus ea vno velut ore celebrari soleat: experimentorum quippe plurium fide comperisse se, ossium hoc tegmen vix sentire, verum potius *ἀναισθητον* esse (b). Verum enim vero ut in nonnullis corporis partibus, cuiusmodi tendines musculorum sunt atque ossium vincula, cetera, cum *Illustri* hoc Viro, de medendi scientia quam meritissimo, omnino concinam, identidem eis sentiendi vim denegando: illud tamen tanto Viro, artis medicae scientia facile principi, qui

C 3

- m) Libr. & loco modo adduct. n) Libr. supra allegat. §. 1029. o) Libr. cit. p. 27. & 28. p) Libr. adduct. Libr. XIII. Cap. III. q) Libr. allegat. Libell. IV. cap. 1. p. 692. r) Compend. anatom. Tom. I. §. 186. s) Libr. eod. §. 1029. t) Diff. citat. Cap. I. §. XIV. N. 3. u) Thef. anat. X. aster. III. No. CLXXII. x) Libr. cit. Tom. I. Traité des Os frais §. 60 & 65. y) Libr. & Tom. cit. in not. ad §§. 162. 221. 228 & 343. z) Traité des maladies des Os. Tom. II. p. 431. a) Institut. osteologic. Cap. I. §. 67. b) Libr. cit. Mem. I. Sect. I. p. 23. Mem. II. Sect. II. p. 138 & fq.

indefesso suo studio medendi doctrinae plurimum lucis accendit, haud temere assentiri possum, quod haec etiam membrana, circumnata ossibus arctissime circumseptaque, omni sensu expers ac vacua esset, id quod tamen, salua existimatione, qua hunc Virum ego semper sancte veneror, dixerō. Contendo igitur potius, compluribus nec sane ficulneis & rationis & obseruationis adnuculis innixus, περιosteον membranam vtrique maximi & acerrimi esse sensus. Namque primum quum ossa per se, vulgari experientia loquente, omnis sensus sint expertia; eadem vero perinde, atque aliae corporis partes integrantes, multimodis laesionibus et detrimentis, non fracturis solum et luxationibus, sed aliis quoque acerbis malis, velut inflammationibus, abscessibus, vlceribus, cariei, tophis, gummatibus gallicis, exostosis, cetera, opportuna sint atque exposita; natura eorum commodis et incolumitati male consuluisse, nisi eis, alio modo, de aucto sensu, vigilantissimo excubitore et admonitore, sollicitius prospexisset, vt animantia ita de impendentibus sibi suisque ossibus calamitatibus & periculis in tempore admonita atque impulsā, eis satis opportune occurrere, vel certe salutaribus remediis tempestiue subuenire possent. Qua quidem ratione cuiusque satis fore perspicuum existimem, quae et quanta naturae fuerit necessitas, corporis ossa, quorum non est vllus sensus, eiusmodi membrana amittendi, quae quum sensu valeat acutissimo, ea a multorum morborum insidiis aliisque noxis, quae iisdem interitum subinde intendant, tuta reddere valeat.

§. XXI. Deinde non mente comprehendo, quemadmodum periosteofentiendi vim abiudicaturi, istas exostoses et hyperostoses, quae ex ipsa ossium textura haud insolenter nascuntur, aliaque mala in eorum abditis et recessibus interioribus stipata expedire et rationi conuenienter explicare valeant, si periosteō nulla esset fentiendi potentia. Rei enim medicae scriptores restantur, huiusmodi aegros nonnunquam tam atrocissimis exercuari doloribus, vt prae summa eorum saeuitia, continenter perseuerante et noctu praesertim in maius augeſcente, totam noctem agant insomnem, inmo non inueniant, vbi a summis suis cruciatibus, vel parumper duntaxat, acquiescere, et pauxillum leuamenti reperire queant (c). Quo pacto huiusmodi, inquam, aegrotis

a ta-

(c) PETIT Traité des maladies des Os Tom. II. in dispersis locis, ASTRUC des Maladies venereann. libr. IV. iisdem compluribus locis. FLATNERVS Libr. cit. §. 1044.

a talibus exostosis, inprimis malignis, tam ingentes inferri queant cruciatus, membranæ περιosteosis omni sensu carentibus, illi viderint, qui et id enodarint, qui huic inuolucro vim sentiendi omnem auferre nulli dubitant. Tum vulgari obseruatione unicuique exploratissimum est, homines immanibus doloribus statim affici, si eorum artubus isthic, vbi periosteum cute tantum et panniculo adiposo contactum deprehenditur, magna vis incutitur. Quis enim est, quin sciat, eos illico doloribus affligi tristissimis, dummodo illam tibiae partem, in qua spina anterior, quae acutissima obseruatur, obuia est, corpori perduro, et cedere nescio, grauiter ex improviso illidant, aliove pacto ad faxum quoddam offendant. Quot quantosque indidem nonne continuo persentiant dolores, quos cruciatus? quum tamen haec cruris spina non sane vllis aliis partibus, praeterquam mera cute et adipe, obiecta deprehendatur. Si quis vellet huius doloris reum peragere cutem, non sane vlla suppeteret sufficiens ratio, cur manus pedesue eorumque digiti non simillimis ei cruciatibus tententur, pari modo in obuia sibi solida ac dura corpora irruentibus atque offendentibus?

§. XXII. Deinde quoque sensuum fide comperimus, illos homines, quibus membrum quoddam, qua causa cunque, velut brachium, pes, cetera, amputando extirpatur, tum demum semper enormibus corripitur doloribus, si Medicus vulnerarius, dissectis et remotis partibus carneis, nunc ipsum periosteum aggreditur abradendo tollendum. Ego met ipse, quum Argentorati studiorum causa peregrinarem, aliquoties eiusmodi eruentis operationibus interfui, et ἀπόπτως sanctissime asseuerare possum, hos miseros nunquam non tum denique clamore maxime lugubri dolorum suorum acerbitates prodidisse, Chirurgo periosteum ab ossibus abradente et deglubente. Tum quoque veritatis est exploratissimae, experimentorum fide satis comprobatae, nec internum periosteum, quo medulla ossium conuicta est, suo sentiendi acumine esse destitutum, quantumuis paulo inferiori, quam quod externo est ossium inuolucro. DUFFERNEY enim tradit, se, membro homini praeciso, medullam instrumento quodam asperius violentiusque iusto contractari et agitari iussisse, vt experiretur, vtrum sentiret, nec ne? quo facto eiusmodi ita contractatos continuo de vehementibus, quos perciperent, doloribus esse grauiter conquestos. Vt igitur sibi de hac re satis certum esset, cani viuo, coram Academiae

demiae Parisinae sodalibus, crux praecepit recidendum, expectando vsque eo, dum animal se ex acerbitate dolorum reficeret et colligeret, tum demum, doloribus omnino defaevientibus, in ipsa ossis medulla specillum quoddam alte defixit, ex quo statim canis iste acerbissimos dolores, ex eius nixibus et signis fati observabiles, persensit (*d*). In eadem quoque sententia est RYVSCHIVS, pariter verbis ostendens testatissimis, hanc tenerrimam, vixque ab araneorum tela abludentem, pelliculam, medullae ossium circumvolutam, tam exquisitissime sentire, ut per saepe dolores aegris cieat intolerabiles, in ossium interioribus facientes (*e*). Quid? quod laudatus hic Auctor haud raro varia insecta, quae ei chrysalides nominantur, in ipsis ossium recessibus intimis inuenit, a quibus ista tormenta, quae aegroti in ipsis ossium medullis sibi haerere putant et dicunt, saepe oriri scribit, dum subtilissimam illam et acerrime sentientem medullae membranam mordendo, radendo, terebrando exederent (*f*). Neque discordant ab eis WINSLOVIVS et Illustris BOEHMERVS, similiter verbis ostendentes grauissimis, medullae inuoluerum admodum sensibile esse (*g*). De doloribus istis, quos aegrotantes in ipsis sibi intimis ossium medullis consistere sentiunt, quique propterea *ὀσσενοποι* salutantur, nihil est, quod heic plura addam, ne longius prouehar, quam mihi est constitutum.

§. XXIII. Sed fortasse dixerit quispiam, quomodo periosteis vtrisque tam insignis sentiendi facultas adscribi posset, quom necdum fati liqueat, an nervi in illa diffimentur? certe magnam eorum in iisdem esse raritatem. Deinde Auctoribus quidem proditum esse, medullae membranam eximio sensu esse instructam; sed nervos e periosteo, per ossium texturam eodem concedentes, pariter nondum oculis satis luculenter exhibitos esse. Quod ad has obiectiones attinet, vix vllius sudoris esset, nervorum propaggines satis frequentes, in permultis periostei externi locis, oculis hoc dubitantium clarissime conspiciendas subiicere, dummodo mihi vacaret et instituti ratio id ferret. Accepi enim fando ab Auditore quodam b. CASSEBOHMII, hunc egregium Virum multoties in Theatro anatomico nervos complures, in hoc tegmen dispersos, manifeste

(*d*) Memoires de l'Acad. royale des Scienc. l'ann. 1700. (e) Thesaur. anatom. X. No. CLXXXII. Tabul. III. Fig. II. lit. C. (f) Aduersar. anat. Decid. III. No. VI. Tab. I. Fig. 1. 2. 3. et Tab. II. Fig. 1. (g) WINSLOW libr. et Tom. cit. §. 77. BOEHMERVS Libr. adduct. Cap. I. §. LXXII.

nifesto demonstrasse. Deinde quoque iam supra ex VIEVSSENIO et WINSLOVIO ostendi, quo pacto complures nervorum furculi in articularum vincula proferantur, quos eodem loco perhibui haudquaquam in ipsa ligamenta, vtpote omni sensu cassa et vacua, sed in periostea, hisce vinculis obducta, frequenti ramorum sobole disseminari. Ipse etiam WINSLOVIVS Auctor est, periosteum non rivulis solum sanguineis frequentissimis irrigari, sed villis quoque nerveis confectum esse et contextum (b). Quocum etiam Illustris BOEHMERVS concinit, planissime itidem docens, numerosissimas fibrillas, a periosteo externo ad ossium sicutosorum interiora exporrectas, in tenuissimam illam membranam, medullae circumtextam, effundi (i). Ipsa etiam dentium ossa compages clarissimo huius veritatis nobis esse potest testimonio et argumento. RYVSCHIVS quippe in molari dente, ferrae ope in duas partes a se diuiso, omnium oculis, praeter copiosa vasa sanguifera, plurimos quoque nervos evidentissime conspiciendos dedit, de quibus memoratu dignum est, commemorata vasa in ipsam dentium durissimam seu ossiam compagem disseminari (k); nec quicquam dubii est, quum natura arteriis plerumque fere nervos dederit comites, quin etiam ramusculi nervei, quantumvis non satis conspicui, in eandem fuerint diffusi; quia alioqui non appareret; vnde eiusmodi *αμωδις* seu stupor, ab esculentis acidis et austeris mansis, dentibus vsu evanire possit. Hinc quoque est, cur iam HAVERVS suspicatus sit, fibrillas nerveas, vt in dentium durissimam compagem disperguntur, ita quoque externi periostei nexu ossium solidae texturae intexi (l). Tandem quoque operae pretium erit, vel illius, (quo an quicquam testatius esse possit evidentiusque, omnino dubitem) heic meminisse, quod a DVVERNEY relatum legimus. Vidit nimirum hic Vir suismet oculis neruum quendam, satis conspicuum, arteria et vena comitatum, perque solidam ossis substantiam ad eius interiora delarum, medullae eius implicatum esse (m). Quae quum ita sint, liquido iam cuiuscunque haeco appariturum, eos sua opinione vehementer falli, quibus persuasum est, periostea, tum externum, tum internum, sentiendi facultate orbam omnino esse et vacua: experientia ex aduerso innumeris documentis satis perspicuum faciente, has *περιosteας* membranas sensu acerrimo esse adornatas.

D

Proin-

(b) Libr. cit. Tom. I. Trait. des Os frais §. 60. et 62. (i) libr. allegat. §. LXXII. (k) The-saur. anat. X. Affer. maior. I. No. XXVII. 3. et 4. (l) Libr. cit. pag. 27. et 28. (m) Mémoires de l'Acad. roiale des Sciences. l'année 1700. pag. 205.

Proinde quum vniuersas, quae sua connexione et coagmentatione extremum pedem confingunt, partes, iam mihi satis videor attingisse, et solum periosteum, ex cunctis iis, sensu quam acutissimo prae ceteris dotatum esse, demonstrasse, nullus vereor, illud tum arthritidis, tum podagrae germanium conceptaculum et latibulum declarare, quippe in quo dolorum, quibus podagrici quam vehementissime subinde cruciantur et anguntur, femina iacta haerent et occultata. Vt igitur quoque eorum causas procreatrices et effectrices cognoscamus, opportunum nunc erit, ad eas expendendas ingredi.

§. XXIV. Stabilita igitur et fixa illa sede, in qua malum nostrum altis subinde haeret radicibus defixum, quamque periosteum, utpote maxima sentiendi facultate prae ceteris pedis partibus instructum, esse haud obscure perhibui, in eo est, ut etiam ipsa eius femina, de quibus surgit, nunc pauca expediamus. Quemadmodum vero Auctores in vero Podagrae foco designando plurimum inter se dissident inque alia eunt omnia: ita quoque de eius fomite definiendo et significando vehementer inter se discordant disceptantque. Tametsi enim plerique illorum sales incusant et reos huius calamitatis faciunt, ut qui nervis, tendinibus et articularum ligamentis impacti ibidemque fixi, eis tantos cruciatus inferre dicuntur: de eo tamen inter eos non conuenit, cuius indolis et ingenii hi sales sint. Alii quippe eos acidos et austeros, eosque fixos, utpote prae reliquis, singulari pungendi et rodendi vi praeditos, esse, sibi persuadent (n); alii contra acido volatili spirituoso primas tribuunt (o); alii eosdem tartareae naturae esse putant (p). Alii de alcalinorum prosapia eos esse fingunt, quod podagricorum sanguis, ut somniant, plus alcali salis, quam sanorum, contineat, et materia e tophis podagricorum eruta, manifeste sit alcalina (q). Nonnulli illos ex acido et alcali concretos esse contendunt, in qua sententia TACHENIVS fuit. Quidam liquidum neruorum, acrimonia et nimia tenacitate vitiatum, in causa et culpa esse produnt. Aliis alia arrident commenta. Nec sane exitum sermonis mei inuenirem, varias istas et dissidentes opiniones, quibus Auctorum

(n) HAVERS Libr. add. Discurs. IV. p. 268. 294. ETMÜLLERVS libr. cit. Part. II. Libr. II. Sect. I. Artic. VIII. (o) TACHENIVS de Morbor. Princip. p. 498. ut et in Tract. Hippocrat. chem. (p) Frid. HOFFMANNVS Medic. rar. systemat. Tom. IV. part. II. (q) Job. COLBATCHE Tent. phys. de alcal. et acid. resp. morb. cur. et Tract. de Podagra.

storum animi de Podagrae fomite & causa materiali imbuti sunt, hoc loco omnes expromere conaturus & liquido ostendere, quid argumenti singula quaeque habeat.

§. XXV. Verum enim vero si huius mali ortum, progressum, incrementum nexumque cum aliis, quae illud circumstant, eidemque viam pandunt, animo haud occaecato perpendamus, & ad veritatis normam, haud vero ad huius aliusue hypothesin, exigamus, liquido apparebit, permulta eaque grauissima nobis esse momenta, cur huius mali causam in tot tam diuersi inter se ingenii sales, quibus rei medicae scriptores illud vitio & culpae dare solent, conferre nequeamus; quae proinde haec, velut in compendium missa, ne longiores simus, quam proposita breuitas finit, referre placet. Primum enim constat communi experientia, podagram, nisi forte a parentibus per natuitatem fuerit in liberos propagata, ex se ortam non promiscue quibuscumque mortalibus, cuiuscumque sunt aetatis, sexus, temperamenti, cetera, insidias struere & ingruere; sed nunquam solum non in certo quodam aetatis flexu vim intentare seque inferre. Siquidem hominibus annos quadraginta magis natis, sicque aetate prouectioribus, vitatissime exoriri obseruatur (r). Tum quoque ea certis duntaxat temperamentis, velut sanguineo, sanguineo-cholerico, sanguineo-melancholico, semper familiaris esse animaduertitur (s). Post, quod commemorabile est, illi huius aetatis & temperaturae homines hoc morbi solenniter corripi deprehenduntur, qui victui lauto & opiparo indulgent, seque in dies fere cibis vinisque lautissimis ad nauseam vsque ingurgitant, vitam viuent vmbrailem & delicatam, languori ac desidiae se dedunt, vehementioribus & immoderatis animi motibus & cupiditatibus assidue aut frequenter conuertuntur, seque in venerate voluptates crebro immergunt, atque ita nimiam sanguinis copiam sibi in suis vasibus cumulant (t). Postremo obseruationum fide in aprico est, eiusmodi mortales insuper Podagrae omnium maxime opportunos esse, quibus in pueritia & adulescentia sanguinis e naribus profusiones frequentes & velut solennes fuerunt; postmodum vero vndeunque, vel mortalium, vel ipsius naturae, culpa, suppressae aut omissae; aut in quarum loco

D 2

r) ALBERTI in Schediasmat. de Podagra sine sale. STAHLII diss. de Autocrita naturae. Halae 1696. s) IVNCKERVS Consp. Med. theoret-pract. Tab. XLIX. IV. No. I. t) IVNCKERVS Libr. & Loc. cit. GOHLIVS Lib. VII. Cap. I. §. 3.

cum vicaria sanguinis per sedis venas excretio quidem successit, sed vel haud fatis nec ex voto processit, vel itidem quoquomodo postero tempore inhibita fuit & plane sufflaminata.

§. XXVI. Quodsi igitur quis arthritidis & Podagrae causam materialem eiusmodi sales, quos velit cunque, constituerit, qui arcuum iuncturis pun-
gendo, mordendo, rodendo, irritando, vellicando, aliove modo grauiter affi-
ciendo, acerbos dolores infligere putantur: illum summopere velim rogatum,
vt sanae rationi atque experientiae conuenienter modo mihi exponat, cur eius-
modi temperamentis talis copiosior salium prouentus in corpore duntaxat so-
lennis sit, in quibus sanguis dominatur? cur eiusmodi hominibus sales nascan-
tur copiosiores, qui gulae suae indulgent, largius & copiosius edendo atque bi-
bendo quam pro sanitatis modo, ac desidiae vacant? Cur hi sales in corpore
oriantur & cumulatius augeantur, sanguinis istis profluuiis, quibus eiusmodi
homines assuefacti sunt, vel sua sponte cessantibus, vel alia ratione prohibitis
aut suppressis? cur haemorrhoides, si in tempore oriantur, & legitime pro-
cedant, huiusmodi salium prouentum, atque inde pendens podagrae aut ar-
thritidis ortum praeuertant, & qua id fiat ratione? cur sales & procreata
ab iis podagra, si iam suam sibi sedem in pedibus fixerit, nec dum altas ege-
rit in eis radices, funditus tolli de corpore atque extirpari queat, haemorrhoi-
dibus fatis opportune superuenientibus beneque succedentibus: & quomodo
eiusmodi sales hoc sanguinis profluuium imminui, atque ex laqueis, quibus ir-
retiti in pedum articulis tenebantur, prorsus expediri potuerint? cur sales
hi, & indidem nata podagra, non sane vnquam eiusmodi hominibus ingruat,
licet aetatis sint & temperaturae, podagrae recipiendae accomodatissimae, &
victu largiori vinisque vtantur, qui corpus suum quotidianis laboribus iisque
duris frangunt atque delassant? cur mulieres podagrae insultu imperuque
sint prorsus immunes, quamdiu sanguine per menstrua conuenienter exsoluun-
tur: mensibus vero vndeliber parcius iusto & aequo fluentibus, vel suffla-
minatis aut prorsus cessantibus, podagrae subiendae statim euadant aptissimae;
quum tamen menstruo fluxu nihil quicquam salis, multo minus eius copia,
sed solius sanguinis duntaxat vbertas imminuatur & e corpore expellatur? cur
podagra omnium optime & facillime praecoccupari, aut si pedi quoque iam
altius insederit, radicitus euelli subinde queat, solo parco tenuique victu ac
laborio-

laborioso vitae genere? cuiusmodi exempla mihi met ipsi aliquoties sunt obseruata, vbi podagrici, opibus antea affluentibus & postea, aduersa fortuna eis contingente, ad egestatem redacti, cogebantur parcius victitare & manibus suis sibi quotidianum victum comparare, quo fiebat, vt ex hoc morbo, quo per longum temporis spatium conflictati erant, prorsus conualescerent. Simile exemplum podagrici cuiusdam literati, iam per viginti annos hoc merbo tentati, & anniuersarias eius exacerbationes perpeffi, qui solo ei praescripto parco victu & laborioso viuendi genere, cum interpositis & singulo quoque aequinoctio celebratis venae sectionibus, per totum triennium podagrae calamitatibus immunis, vixit, refert *μαχαρίτης* IYNCKERVS (u). Quam ob causam sales in huiusmodi podagricis generari desierint, curta eis exorta supellectile, id illis relinquam defendendum, qui eiusmodi sales huius mali causam materialem declarare non erubescunt. Iam igitur pergam ab eiusmodi salium patronis requirere, quatenam tam propinqua cognatio salibus eiusmodi, pro foecundis podagrae genitoribus hucusque haberi solitis, cum sanguinis vacuationibus, siue natura per haemorrhoides, siue arte per sanguinis detractiones celebratis, intercedat? experientia quippe docet, haemorrhoidibus, in tempore eiusmodi homini, podagrae opportuno, subortis & bene succedentibus, huius mali radices, modo nondum altissime in periosteo defixae haeserint, saepenumero funditus euelli, eiusque prouentum hoc pacto omnium facillime impediri. Ipsis quoque sanguinis missionibus, siue sectione phlebotomo, siue scarificatione peractis, & quotannis iusto tempore & sufficiente copia celebratis, vix vllum efficacius esse, vix vllum praesentius remedium ad podagram praeseruandam, & si etiam nunc in corpore praesto esset, ad eius violentos impetus infringendos atque comprimendos, multo longoque vsu & obseruatione tam testatum est, quam quod testatissimum. Tandem quoque scire aueam, quo pacto eiusmodi sales in podagra haereditaria, iunioribus potissimum, nec infolenter infantibus familiari, a parentibus cum semine in prolem transferri & propagari queant? Nec vllius negotii mihi esset, longe plura eiusdem ponderis momenta in medium adducere, quibus ostendere possem, quot quantisque difficultatibus hi sales, qui podagrae & arthritidis opifices esse supponuntur, impliciū sint & obstructi, nisi iam STAHLIUS, ALBERTI, IYNCKERVS,

D 3

RVS,

*) Libr. & Tabul. modo alleg. No. VII,

rus, alique Viri incomparabiles, idem hoc argumentum me multo doctius & latius essent profecuti.

§. XXVII. Quae proinde qui exquisito examine perpenderit & ad verum exegerit, is facile perspiciet, quam parum argumenti eiusmodi sales, qui podagricos dolores progignere feruntur, habeant, & quo nexu cum causis podagrae, tum antecedentibus, tum occasionalibus, cohaereant. Staruimus igitur, missis & reiectis tam diuersis salibus, veram huius mali effectricem esse solam sanguinis in corpore affluentiam, qui, prout in canalibus periosteï variorum articularum fuerit congestus & cumulus, vel arthritidem, vel chiram, vel ischiadicum malum, vel gonagram, vel podagram profert. Quum enim periosteum, quod, RYVSCHIO recte, vasorum abundantia affluit, membrana sit admodum nervosa & distentionis omnis omnino impatiens, conceptu erit facillimum, non posse fieri, quin haec vascula a sanguinis vi & mole maiori, quam commode capere satisque expedite in orbem voluere queant, nunc inundata, praeter modum extendantur: vnde neruorum rami, qui per periosteum disseminati sunt, similiter, mirumquantum contenduntur & grauissime afficiantur, necesse est. Iam vero quum vniuersi dolores oriuntur a nimia & immodica neruorum tensione: liquido nunc vnicuique cognoscere in procliu esse futurum censeo, vnde tantae dolorum acerbitates arthriticis & podagricis vsu eueniant. Qui dolores tanto acutiores erunt & vehementiores, quanto violentius vehementiusque dicti nerui fuerint contenti & adducti: eo autem tolerabiliores, quo remissius fuerint intenti. Multiiuga autem haec neruorum tensio isti vasorum sanguiferorum, quibus periosteum locupletatum est, inundationi vni accepta est ferenda: prout enim haec sanguinis inundatio & quasi eluies in dictos periosteï alueos maior vel minor fuerit, ipsa quoque horum distentio similiter vel acrior erit & impensior, vel remissior ac mitior. Causam igitur podagrae materialem agnoscimus ipsam sanguinem, vberiore copia, quam pro eius expedito & facili per vasa cursu necessarium est, in vasorum alueis cumulatam; causam vero eiusdem proximam & formalem illam contendimus praeternaturalem esse vasorum & neruorum tensionem, quibus se hoc malum prodit, germanam genitricem. Et quum sanguinis exsuperantiam podagrae fontem esse & caput modo innuerim, expeditissimum cuius erit indidem intelligere, vnde podagrae ram arctum cum haemorrhoidibus & renum calculo

inter-

JIV. 08. 2. La. chom. Ind. T. 8. 2. 11. 1. 1.

intercedat commercium: quia cuncti hi morbi e fonte omnium communi, qui sanguis est copia affluens, scaturiunt. Nec arduum foret id pluribus heic demonstratum dare, necesse si esset tempusque ferret; adeat, cui volupe est hoc argumentum fufius explanatum legere, Dissertat. de Lithiasi, reni sinistro, quam dextro magis infesta, praeside v. SCHVLZIO Halae publici iuris factam: vt & Illustris atque Excellentissimi Praesidis, Praeceptoris ac Patroni omni obseruantia aeternum mihi suspiciendi; Dissertat. de Vasis haemorrhoidalibus.

§. XXVIII. Quum vero vasa illa, toto periofteo abundantissime intexta, duntaxat serosa & lymphatica sint, quae, constanti naturae lege, ferum & lympham solummodo vehunt: perspicuum inde erit, eis sanguine inundatis & obrutis, non vllam aliam, praeterquam solam serosam inflammationem, quam quoque erysipelaceam vocant, vsu euenire posse; ideoque in podagrae exacerbationibus semper talem erysipelaceam incensionem duntaxat conflare; quae quum aliquando latius in conterminas sibi partes se fundat; ex eo manifestum est, cur subinde quoque in superficie affectae partis leuis quaedam inflammatio, cum pallido rubore, nihil ab erysipelate abludens, compareat. Sed caue, credas, in eiusmodi erysipelaceis incendiis aequae, atque in sanguineis inflammationibus, semper veram & perfectam vitalium liquidorum stasim deprehendi: Hambergerus enim gravissimis testimoniis comprobauit, sanguinem in hoc inflammationum nequaquam omnino subsistere in suis vasis serosis & lymphaticis, sicut in phlegmone: sed in suo itinere & cursu duntaxat retardari & lentius solito ac iusto moueri. Cui rei testimonio esse potest luculentissimo, illa expeditissima erysipelatis retrocessio ab habitu corporis exteriori ad eius interiora: id quod sane nullo pacto in phlegmone, sanguine in suis vasis profus consistente, contingit (x). Quis vero rei medicae adeo imperitus est & rudis, quin sciat, quam expeditissima & promptissima fiat podagrae a pedibus ad corporis interiores partes retrocessio, medicamentis praefertim repellentibus in vsu auxiliumque vocatis? Qua autem ratione sero & lymphinae globuli quidam sanguinis rubicundi intermiscantur; a quibus rubellus iste color in erysipelate oritur, id explicatum deprehendes in Ill. Praesidis Diss. de Inflammatione sanguinea: mihimet enim abunde est, heic paucis tantum anno-

(x) Diss. de Inflammation. verar. diagnosi. §. 9.

annotasse, in podagricis exacerbationibus semper fere incendium ferosum seu erysipelaceum in periosteo exardescere.

§. XXIX. Iam in eo est, ut quoque expendamus, cur podagra quam saepissime ac velut solenniter suam tragoediam in pollice pedis ludere incipiat? negari quidem non potest, eam, si pedi ingruit, multoties alias quoque partes, velut calcem eius, cetera, adoriri: creberrime autem eam videbimus suam sibi sedem in digito pedis maximo capere. Primum igitur tenendum est, nullas esse corporis partes, in quibus sanguis, ex constanti naturae ordine, tam lentus & tardus per vasorum alucos fertur, quam pedes: quia a corde utpote sanguinis fonte & primo motore, omnium maxime remoti sunt & diffiti: deinde vitalia liquida in pedes ad perpendicularum per arterias deuolui; per venas autem inde redeuntia, recta sursum ascendere. Iam vero si maximum pedis digitorum lustremus, eum in pedis extremo collocatum, ideoque omnium ultimi pedis partium remotissime a corde distantem deprehendimus; quo nomine sanguinis per eius vasa circuitus, secundum naturam, difficillimus sit & tardissimus, necesse est. Deinde obtinet ille plures arteriarum furculos, quibus tot venae comites haerent. Accipit quippe binos ramos ab arteria interossea, quae WINSLOWIO tibialis anterior dicitur, quorum alter exteriori pollicis, alter vero eiusdem interiori lateri affidet (y). Praeterea quoque aliam quandam conspicuam propaginem ab arteria plantari interna, interossea mutuis orificiis connexa, recipit. Hi tres spectabiles rami pollicis ossibus perinde, ac eius mollioribus partibus, de sanguine prospiciunt. Quemadmodum vero vasa, quae in ossa quaeque fistulosa se abdunt, nunquam eorum *διαφύσας* intrant, sed, constanti lege, in eorum ceruices, capitibus ossium proxime & *ἀμεσως* subsitas, frequenti sobole seu partitione multiplici se immergunt: ita quoque hiberni rami arteriosi, multifariam diuisi, primo pollicis ossi in ea parte se inferunt, quae capitulo eius proxima est. Si igitur consideremus, primo huic pollicis ossi totius corporis molem inniti; deinde sanguinis in pedum digitis motum esse tardissimum, tum podagricorum pedes semper sanguinis copia maiori inundari; postremo, quod caput rei est, tot vasculorum minutissimorum ex periosteo emersum atque eorum introitum in ipsam ossam primae phalangis compagem; luculenter apparebit, cur hic pollicis articulus tam frequentissime primos podagrae impetus sustineat?

Quum

(y) WINSLOW lib. cit. Tom. III. Traité des Artères. §. 275.

Quum enim sanguis ex vasculis periostei, primo pollicis articulo circumvoluti, non ita expedite & prompte arteriarum minutissimos ramulos, in capitula ossium metatarsi primi & phalangis primae distributos, ingredi queat: reliquo sanguini, ex periosteo a tergo succedenti, mora atque impedimentum quoddam semper inferatur, necesse est, qui proinde in reliquis periostei canaliculis moram necstans, hos tubulos ultra modum diducendo & distendendo, periosteo huic, articulum talem inuescienti, magnam vim incurit, nervis iis, qui in hanc periostei partem disseminantur, violentius iusto contendendis & adducendis, hinc non aliter fieri potest, quam ut aegroti hac in periostei parte potissimum tunc acerbos persentiscant cruciatus. Videas igitur, quam ob causam primus pollicis articulus plerumque omnium primum luxuriosae & delicatae vitae peccata luat.

§. XXX. Tandem quoque istorum nodorum, quos tophos podagricos nuncupant, quique podagrae, altissimis radicibus in pedibus defixae iamque inueteratae & velut confescenti, se subinde adiungunt focios, mentio mihi facienda est, quibus salium patroni omnium praecipue demonstratum eunt, solis salibus in hoc morbo progignendo priores ac primas esse deferendas; quia sibi persuasum habent, concrementum illud, calcem seu cretam gypsumum referens, quod ex huiusmodi tumoribus vel sponte disruptis, vel arte incisus & reclusis, eruitur, omnium oculis velut conspicuos obuiere istos sales, qui tam saeuissimorum dolorum in podagra procreatores esse atque effectores produntur. Quid? quod quo suae hypothesei maiorem veritatis speciem induant & plus fidei praestruant, testem eius KERKRINGIVM citare sustinent, qui ex hac materia, eiusmodi tophis exenta & ignis torturae commissa, multum manifesti acidi arte chemica elicuisse fertur. Praeterea quoque ipsa ligamentorum iuncturarum, a sabulo tartareo, ibidem subsistente, crofa esse reperta narratur. Anne igitur ex his satis esse perspicuum, autumant, sales tartareos podagrae germanos genitores esse ac parentes? At vero, praeter KERKRINGIVM, non sane vllus medentium vnquam eiusmodi amuream acidam in hoc tophorum concremento deprehendit, qualis tamen demum sub ignis tortura, quam laudatus Auctor huic materiae examinandae adhibuit, generata fuisse videtur, nec minime tali forma eidem antea inhaesisse. Deinde quoque, & Chemicorum, & Medicorum, consensu confessioneque, omnium communi, hodie satis probatum est, ignis vi corporum *νεασι* & nativam indolem haudquam

quam detegi inque lucem proferri, sed potius destrui atque immutari, ita; vt inde postmodum nanciscaris, quae ante ei tali forma haud inerant. Mirum proinde non est, KERKRINGIVM quoque ex eiusmodi cretacea tophorum materia acidi quid, ignis violentia, produxisse, nequaquam vero eduxisse. Quodsi enim ea, quae violentissimo & rapidissimo ignis motu e corporibus extorquentur, in iisdem antea tali forma recondita delituisent: sequeretur, vt acidum quoque quoddam sanguini connubio artissimo coniunctum esset: quod VIEVSSENIVS e fixo sanguinis & lotii sale eiusmodi chemiae opere excussit. Vide eius Diff. epistolar. a ROTHIO citatam (z).

§. 31. Si porro obiicitur, ligamenta podagricorum erosa fuisse reperta: in hac obseruatione, ex PLATERO deprompta, Auctori sermo non est de ossium vinculis, sed de istis tantummodo partibus, quae articulis extrinsecus incumbunt & circumnatae conspiciuntur: arthritide enim diu afflictorum membra affecta, inquit, exesa sunt reperta; deinde pergit PLATERVS: in arthriticis, podagricis maxime, membra intrinsecus diuturnitate adeo perforari ductibus finibusque oblongis angustis, atque si tincis vel xylocampis exesa essent, sectio ostendit, praesertim carnosus in locis musculorum, cet. (a). Quis est, qui non videat, hosce ductus & sinus non ossium ligamentis, sed carnosus membrorum partibus duntaxat internatos fuisse, atque ex praeuia inflammatione, in vlcera mutata, ortos esse. Quo nomine ex hisce cuicumque fore, credo, liquidissimum, cuncta ista obseruata, quibus falsae pathologicae fautores suam hypothesein factam tectamque conseruare adnituntur, nullius plane esse argumenti, multo minus nostram thesin vlllo modo euertere. Contendimus igitur veriori iure, calcarium illud seu cretaceum, quod in commemoratis tophis continetur, nihil aliud esse, nisi serum vel, si tibi magis arriserit, lympham, e vasculis perioftei, vltra modum dilatatis & proinde tandem disruptis, vel certe tenuissimis rimis, hinc isthinc fissis, sensim sensimque exfudatam, delapsam, aggestam, inque eiusmodi cretaceum concrementum coactam, quod deinde petentim plus plusque cumulatum & increfcens, tandem in eiusmodi surgit tumores, tophorum nomine satis cognitos. Materiae vero huic calcariae seu gypseae nihil quicquam salini, nec acidi, inesse, ipse sapor eius clare arguit; degustata quippe fatua est & plane insipida. Quod vero lympham, ex-

tra

(z) Anleitung zur Chymie. Part. II. Cap. II.

(a) PLATERVS Prax. lib. II. Obs. I.


Cap. 16. pag. 382.

tra suos alueos transfusa atque exundata, sensim pedetentimque in eiusmodi creracem congelescat & solidescat, innumeris obseruatis cuilibet spectatissimum est. Ex tanta testium nube, quos, in huius rei fidem, in medium adducere possem, solum *Daniel. TAVVRY* citare placet, qui disertis prodit verbis, sibi in iecoribus duorum hydropicorum a *DVVERNEY* monstrata esse vasa lymphatica, materia cretae vel gypso simili repleta, quae a sphaerulis preicatoriis non multum ablussissent (b); *RVSCHIVS* quoque testis est, se hydatides aliquando in tumoribus cysticis offendisse, in quibus lympa in materiam pulti, coagulo, caseo, certera, aemulam, fuerit mutata (c). Nec difficile foret plura obseruata, in obseruatorum monumentis passim obuia, subtexere, si mihi liceret esse longo. Quam vero ob causam podagra consummata omnem medicationem eludat? nemini explicatu erit difficile, qui modo perpenderit, quomodo periostei vascula temporis diuturnitate sensim sensimque diducantur, & de suo tono ac nativo robore deturbentur, & quam parum aditus cunctis medicamentis roborantibus, tum extrinsecus adhibitis, tum ore captis, pateat ad locum affectum. Multa sane supersunt, perquam vtique digna, quae heic consecremur; sed quum de iis breuius mihi dicendum foret, quam tanta res dici possit, me ex tam amplissimo dicendi campo recipiam & finem faciam.

(b) Noua Anatomia Cap. VII. pag. 127 & seq.

(c) Obseru. anatom. Cap. IV. XXV.







00 A 6283


ULB Halle 3
002 828 154



St

Retro ✓





DISS
PAT
J. D.





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
**VERA PODAGRAE
SEDE ET FOMITE**

QVAM
DEO DVCE ET AVSPICE,
CONSENSV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS,
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMI BORVSSIAE REGIS A CONSILII INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESSORE PVBL. ORDIN.
FACVLT. MEDICAE SENIORE ET REGIORVM ALVMNORVM EPHORO,
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM PRAESIDE
ET COMITE PALATINO CAESAREO,

PRO
DOCTORIS GRADV
SYMMSQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS OMNIBVS
SOLEMNITER IMPETRANDIS
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
PLACIDO PHILIATORVM EXAMINI SVBMISSAM

H. L. Q. C.
PVBLICE TVEBITVR
AVCTOR
GEORGIVS BALTHASAR STOLLE,
SVEVOFVRTENSIS.

HALAE MAGDEB. D. XXII, DECEMBR. clo 1o CC LXI.

EX OFFICINA SCHNEIDERIANA.

